



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morte Illvstrissimi Sanctissimiqve Principis Et
Domini D. Iacobi, Marchionis Badensis & Hachburgici,
Landgrauij in Susenberg, Domini in Röteln &
Badenuueiler, Orationes Dvæ**

Pistorius, Johann

Coloniae, 1591

VD16 P 3055

Epistola ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΗ Ad D. Iacobvm Herbrandvm, Theologvm
Lvtheranvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43327

ΕΠΙΣΤΟΛΑ ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΗ
AD D. IACOBVM HER-
BRANDVM, THEOLOGVM
LVTHERVANVM,

*NE DE PRAELIO HILARITER COM-
misso turpiter fugiat, neque per Magistros, ministros scur-
rilis libidinis pugnandum existimet: sed ut ipse, si gloriam Chri-
sti, si studium veritatis, si defensionem pudoris sui spectare,
si vir bonus esse, videri cupit; desertam aliquandiu
causam nouo patrocinio, sed sine scurrili in-
sectatione, tuendam
suscipiat:*

SCRIPTA
A IOANNE PISTORIO NIDANO,
Theologo Catholico, & Sereniss. atque Illustriss. Au-
striae, Bauariae, & March. Baden. P. P. P.
Confiliario.



COLONIAE,
Apud Geruinum Calenium & haeredes Ioannis Quen-
telij, Anno M. D. XCI.

Cum gratia & priuilegio Caesarea Maiestatis.

ALBERTI GORRII
P. R. A. D. A. T. I. O. N. I. S.

DE P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E.
P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.
P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.
P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.

SCRIPTA
A. IOHANNIS PISTORII NIDANO,
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.
P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.
P. R. A. T. I. C. A. M. A. R. T. E.



COLONIAE
A. P. O. S. T. O. L. A. N. I. S. & H. E. R. E. T. I. C. A. M. A. R. T. E.
A. N. N. O. M. D. C. C. I.
C. O. M. M. O. D. O. P. R. A. E. S. T. R. I. C. I. S.

REVERENDIS-
SIMO ET CLARISSIMO
VIRO, D. BALTHASARO, EPISCO-
PO ASCALONENSI, REVERENDISS. ET
Illustrissimi D. Cardinalis, Constantiensis Episcopi Suf-
fraganeo, & in summo templo Constantiæ Cano-
nico, Domino suo & Amico singulari-
ter obseruando.



QVOD sepe hæcenus optavi, Reuerendissi-
me Domine & obseruande Amice, ut testi-
monium aliquod obseruantia in te mea an-
te hominum conspectum appareret: id nunc
me, quanquam non satis oportuno & in di-
gnitatem tuam apto loco, tamen quoquo mo-
do consecutum esse, uehementer sane pluri-
mumq; gaudeo. Herbrandus, Lutheranus,
& Lutheranae Theologiae apud Tubingenses Professor, Epistolam
meam ad Grynæum scriptam, quæ intercepta ab amicis, & me inscio
in publicum relata erat, appetendam magna, sed inani armatura, &
ad pugnam me deposcendum esse, primum quidem hilariter exi-
stimauit: postea verò cum respondiissem, sic percussus fuit, ut per
vnum & dimidiatum annum tanquam somno cõsopitus taceret
semper: & orbatam iacere patrocinio suo Lutheri societatem
pateretur: donec tandem, deliberatione inter amicos, instituta,
cum, si in pugnam rediret, exitium existimationi authoritatig,
suae prouideret, non quidem ipse ad sustinendum bellum procef-
sit: sed primum Decanum conduxit, qui fugientem Herbran-
dum excusaret: deinde calonem aliquem de Magistellis Tubin-
gensibus in lucem protrusit, cuius periculo sic dimicaret: ut si ca-
lo impressionem aliquam facere posset, id ad Herbrandi & cau-
se Lutheranae laudem attineret: sin succubuisset miser Magi-
stellus: ut tum probrum in hoc haberet: Herbrandus ab omni vul-

EPIST. DEDICATORIA.

*nerer liber esset. Diligenter quidem illud excogitatum, sed tanquam in omnium, qui disputationem refugiunt, communi more atq. consuetudine positum, derisum ab intelligentibus viris omnibus fuit. Itaq. reuocare Herbrandum Epistola publica ad melioris consilij rationem visum est, ne fugeret: sed bellum à se susceptum, gloriose, si posset, finiret; vel certè ut in negotio Christi vinci se à Scriptura & Ecclesia non grauatè sineret. Eam verò ad Herbrandum scriptam Epistolam, sub paterno tuo nomine euulgandam esse putavi, ad omnibus huius & posterioris atatis ciuibus testandam obseruantiam, qua in beneficiorum memoria, quibus affectus sum, & propter summas virtutes, qua in R. Tua luxerunt semper, & splendent iam in extrema spectata grauissimàq. etate multò magis, meritò te colo, & quousq. vita fruemur, colendum esse iudicabo. Accipe igitur Reuerendiss. D. tanquam pater à filio testimonium venerationis, & signum amoris: & grati animi non quidem dignum beneficijs, tamen quale iam proferri potuit, sincerum inditum: mihiq. quem cepisti, amorem tribuere perge. Vale, Vir obseruande, & Reuerendissime Domine.
 Ex Friburgo Brisgoie 14. Februarij Anno XCI.*

Reuerentiæ Tuæ
 Paternæ

obseruantissimus &
 amantissimus.

Ioannes Pistorius:
 Nidanus D.

IOAN.

IOANNIS PISTORII NIDANI D. ET THEO-

LOGI CATHOLICI, EPISTOLA AD

D. IACOBVM HERBRANDVM, LVTHE-

ranæ Theologiæ apud Tubingenses

Interpretem.



VOD scenici Atores in ludis solent, vt fabulæ confecto vno actu, de theatro subducant personas: & ad oblectandum parumque sustinendum populum in vacuum theatrum, quousque Magister scenarum se sociosque; lufores recollegit, Mimos, & ineptos gesticulatores, vel monstruosam bestiam intromittant, fuscque cachinnos irridentium spectatorum commoueant: id à te, D. Herbrande, in edendis ludis exercitato sene, cum primis in nostra concertatione spectari videmus. Nam cum ante biennium & amplius contra meam de Ecclesia Christi ad Grynæum scriptam Epistolam, nemine iubente, Theses aliquot tanquam primo Lutherane fabulæ versus, in publicum retulisses: eaque libro meo, quem sub *Αναλύσεως* nomine in conspectu hominum apparere volui, obiurgatæ repressæque grauiter essent: audiuius, quemadmodum omnium Lutheranorum animi, qui vulneratas tuas & concisas copias summopere dolebant, ad te suspicerent, planeque sperarent, vel nouo conatu nouam te daturum esse fabulam, vel cum primus actus tibi perijisset, progressurum esse ad secundum: non fortassis vt finire ludum, quod nemo ex Prologo Comediæ, Thesis tuis, suspicabatur: sed ne profugisse ex theatro, & deseruisse summam maximamque causam, quæ sola Lutherane Religionis iugulum incidit,

incidit, videri posses. Et quidem cum nimis diu differres, & in Schmidlini, fabri vestri, antecessoris tui sinum, libri mei & laqueorum, quibus te induissem, vehementiam, & quomodo te constrictum esse sentires, timidè aperuisses: istæque voces, ante sesquiannum à te emissæ, per vniuersam Germaniam longè lateq; spargerentur: desperatum de audacia veteri tua à multis erat: cum tu nuper vetus artifex, nouam populo spem ostendisti: & nō quidem ad persequendam statim processisti fabulam; tamen scenam non diruisti, & monstrum ex cauea vnū atque alterum *ὄρνυος* & cicatricosi rustici obiectasti sub hominum aspectum: sine dubio vt ista hilaritate cū sæpe multumque risus excitatus esset, expectationem populi lenires, & tu interim tanto magnificentius appareres ludum. Illud verò profectò consecutus es, vt in toto mundi & gentium omnium teatro, ridicula monstra tua plurimam & iucundissimam hilaritatem, non solum deformi turpitudine, sed & inusitata latrandi rabie, & variata interque se confusa asini & canis similitudine afferrent. Alterum igitur, quem calceatorem nominare visum fuit, quod humanam formam præ se ferret, & tamen & in latrando canes, & in rudendo asinos, tam aptè, & tam concinnè imitaretur, diu ad summam voluptatem risimus. Nam cicatricosus rusticus, quod nimis ineptus esset, & detractis pigmentis, quibus aspersus erat, totus putido squalore sorderet, nec se ipse mouere propter foetorem posset, depulsus statim fultibus de teatro, & in eum locum, cui Vitenbergenses Philippici studiosi nomen Illyrici Flacij imposuerunt, proiectus fuit. Calceatorē autem ipse aspexi: & quia tres præ se formas ferebat, primū homo an bestia magis esset: deinde an sub humanam externā speciē natura duas internas dissimiles formas, canis & asini, subiecisset: an verò tantū bestia esset, sub effigie & imagine hominis, diu mecum & cum amicis deliberaui. Interim cum in variis tracta partes & disceptata sententia sic esset, vt ppter
dispa.

disparitatem sonorum in bestia, quid concluderemus, in dubium veniret: mirati tamen solertiam tuam & constantiam sumus in retinenda veteri consuetudine: deinde perfasas in bestia tua formarum similitudines hilariter aliquandiu oculis animoq; perquisiuius.

Risimus verò & illud, quod Decanum laudatorem bestiae apposuisses, qui non tantum bestiae virtutes percenseret, sed tanquam praecentor in laudis fabulam novam de Antichristo, non attinentem ad bestiam tuam, & toties iam de theatris tuis reiectam, cantaret. Vix etiam absurdè canendi Decanus finem fecerat: cum latratus & ruditus bestia triformis, triforme mobile cicatricosi rustici, ingemineret, & vno inflatu duos externos sonos eum humana rudi voce permisceret, vt absurditate ipsa eiceret risum maximum.

Nec certè quicquam nobis ad summam voluptatem accidere potuit isto spectaculo iucundius: tantoq; magis, quod pene desperatam spem noui actus, de fabula tua rursus suscitares: & ad istam nos diu optatam expectationem erigeres. Nam quod praeco bestiae, Decanus tuus, tantam spem frustra interscindit, & quasi indignum me duceres, cum quo in theatro depugnares, inter praecinandum magno clamore nuntiat: statim intelleximus falsum, & à Decano confictum esse: cum neque te ferre sciremus, vt tanta tamque turpi macula nomen tuum aspergeres, quod eousq; summo studio referre ad posteriorum laudem atque memoriam cogitasti: neque credere nos, quod Decanus clamauit, recordatio colloquij veteris cum Schmidlino tui pateretur.

Agnoscis ipse, quam turpe sit, cum bellum moueris, cum indixeris pugnam, cum primus sustuleris manum, eum, vt tecum dimicarem, singulari studio, & tum fufissima ad Principem missa epistola, tum Thesibus tuis pro-uocaueris, iam accepto primo vulnere, sub ista simulatione, fugere de praelio, & procurrere de statione, in qua ipse te ante totius mundi conspectum locaueras: praeser-

tim.

tim cum fuga illa turpissima non te tantum in contemptionem, sed Sectam vniuersam tuam in extremum exitium proiciat.

Deinde quanti feceris librum meum, & quantum ille tibi incusserit metum: non obscure significasti, cum primum in literis, deinde in confessione bonorum hominum, postquam satis longum tempus post publicationem libri mei interfluxisset, Schmidlino, Reuerendo fabro tuo, gratias humiliter ageres, quod excogitanda duplici Ecclesia magna te liberasset molestia, & pramonstrasset viam, quemadmodum à Pistorio obiecta solueres. Et si enim tum statim ab ipso Fabro deliberatum de Calceatore, & exte quaesitum fuit, an ad sanandum vulnus tuum Calceator in theatro pro te apponendus esset: tamen ipse pugnam mecum instaurare, & sub latebris Metaphysicæ Ecclesiæ turpitudinem occultare vestram constitueras: ut primum in literis, quas manu tua scriptas iussisti ad Fabrum perferri, cum ille iudicium de Thesibus ad me mittendistuum peteret, significasti: deinde te in mensa, in accubatione epulari, in isto cum Schmidlino Colloquio, loquentem & exultantem subtilitate & inuolucro duplicis Ecclesiæ audierunt amici, & inter eos M. Zehenderus, Fabri affinis, & Sectæ vestræ tum affectator studiosissimus: iam Christi & Catholicæ Ecclesiæ clarissima pulcherrimaque procreatio, Vir præstanti pietate maximaque doctrina: cuius testimonium, & simul literæ, quas habemus, te, si negas, conuincent.

An igitur illum, cuius argumentis illaqueatum te, & iugulatam causam tuam sentiebas, indignum iam reputares cum quo finire illatum audacia tua & susceptum temeritate bellum? An quem tum non contemnendum esse videbas, iam auctus accessione generalis, & per omnes errores perfusæ Ecclesiæ, haberes pro ludo? An utilior esse labor posset, quam præcipitatæ Lutheranae Sectæ accurrere subsidio: & obligare vulnus, quod ipse infixisset?

fixiffes? An nō conueniret, vt quæ Decanus tuus palam confitetur, à quibusdā in Theologia uestra mediocriter uersatis percipi non posse, tu tanquā dux belli, & primus clamator explanares? teq; ad finem negotij, dum fabulam totam tuam populo exhibuiffes, sustineres? nō quidem ad spem uictoriæ, quam scio à te non spectari: sed ad tuendam existimationem auctoritatemque tuam? ne cūm fabulam deseris, fabulam ipse te mundi faceres?

Verūm ista de te non credemus: sinemus Decani tui libidinem esse: qui tibi fortassis metuens, vt extra periculum te sisteret, inuitum subtraxit ex prælio: substituit bestiam: quæ sub minori sectæ discrimine à me conficeretur: & cūm confecta esset, integram tibi stationem tuam relinqueret. Magna quidem illa in filio huius sæculi circumspectio: sed nos, qui de te uirtuteque tua longè rectius sentimus, qui te Magistrum Scenicum, antequam acta tota sit fabula, de theatro discessurum magno ludibrio tuo non putamus: ne quidem si in annum vnum adhuc actum alterum fabulæ prorogabis: qui & veterem cum Schmidlino habitum sermonem recordamur, & propterea mōstrum hoc in scenam iniectum esse existimamus, vt nos distineres, & spem confirmares nouæ fabulæ: Nos, inquam, Decani figmentum facillè contemnimus, & te authorem belli, ducem pugnæ, actorem comœdiæ, veterem athletam, in scena, quam ipse ædificasti, & in qua apparere cum primo actu fabulæ uoluisti, rursus exspectamus: vt post satis derisam bestiam tuam, quia continuari fabulam Lutherani clientes tui cupiunt, neque ludi se diutius per bestiam sinunt, tu rursus redintegratis copijs, & collectis nouis ad agenda fabulam aptis personis, in theatrum procedas. Id dignitas tua, quæ isto adiuumento fulciri apud Lutheranos debet: id exspectatio hominum, qui te pro bono Viro habent: id nomen Theologi, quo gloriaris: id parata tibi, si fugies, ignominia maxima postulat: nec te

gere maculam potes, si non venies: ne quidem si centies Decanus tuus, mirabilis simulator, indignum Pistoriū fingat, cum quo tu disceptes: sub qua fraude, in qua ille te occultare vellet, nos latere non patiemur: non magis quàm cum aliquando Reuerendum P. Gregorium de Valentia, cum illius in libris publicis infusam lucē te nebricosis oculis aspicere nō posses, voluisti, Puer Magistrum, indignum responso tuo ducere, & illo tanquam communi omnium ineptorum hominum perfugio & diuerticulo ex laqueis, quibus te obstrictū tenebat, elabi.

Tamen ne fortassis Decani garrulitas fucum tibi puerilem faceret: ut ea quæ à nobis omnibus nimis aperte sentiuntur, specie veteratoriae simulationis obtegi posse cōsideres: visum fuit, Epistolā mittere, quæ officij te tuimoneret, & ad id non intermittendum, quod, proiecta nuper in theatrum deformi bestia, tanquam ad nouum actū proludens, sperari à nobis voluisti, & quod diu ante in sinū Schmidlino tuo, absurditatum fabro, infudisti, tanquā stimulo impelleret. Recogita quid tum dixeris: crede illud, amicorū sermonibus, infixū in animis, & inscriptū in sensibus nostris, & testatum literis tuis esse, ut inficiari non possis: deinde si non esset, considera tecum qua primum alacritate bis bellum denunciaueris: quos terrores, quibus minis ieceris: quomodo ad pugnandum, & ad conferendam manum, quanta celeritate, quantoque studio processeris: ut etiam ad me deposcendum, tuarū Thesium mutares, monstrofi illius & iam confecti partus tui, primum folium.

Ab ista hilaritate, audaciaque tua, si te vna dimicatio deiecit, si ab vno vulnere sic confectus es, ut hastā abijcias, & quia vides hominibus vincendi spem relictam non esse, pugnam transferas ad bestias, nec iam humano, sed brutorum sanguine falsitatem tuam sustineas, quam partem veteris gloriosæ ostentationis putas tibi futuram reliquam esse? non quidem apud Catholicos,
qui.

qui te semper despexerūt, sed apud Vbiquistas Lutheranos, apud quos multitudo frequentiaq; scribendi & ætatis maturitas, literaturæ communis & Lutheranæ Theologia opinionem maximam parauit?

Nec enim quisquam tam hebes, truncus, & bestia tuæ similis erit: vt, si centies confirmes, indignum tibi videri Pistorium, cum quo susceptum bellum perficias, verum esse iudicet. Nimis tritum illud & vulgare perfugiū est: ad quod omnes, qui causæ diffidunt: qui se persequi posse, quod instituerunt, non sperant: tanquam ad imbecillitatis ignauiaque partum, receptum habent: nec vti tu rectius illo quam indoctissimus quisque: nec plus causæ afferre potes, cur in angiportum istum temeritatis, & in istam caliginem inanissimæ fallaciæ te conijcias. Ego verò semper, quoties sub his tenebris abstrusus recōditusque iacere cogitas, quousque bellum nos redintegra bis, & quandiu secundum actum fabulæ tuæ non appones, exclamabo, ludificatorem te mundi, & desertorem esse causæ maximæ, quam ipse versandam mecum, cum nemo iuberet, in humeris tuis reposueras: & quam non oblatam, cum te non attingeret, vltro attraxeras. Istam tantam causam in clamabo in omniū aures, relinqui à te neglectam, & defensione, in qua te insolentissimè iactaueras, patrocinioque tuo orbatam: nec dicam te fugere: dicam toto corpore concisum & conculcatū, non habere locum vbi consistas: non arma, quibus pugnes: non animum, quo te ad pugnam suscites: non res, quas tractes: non verba, quæ enunties. Dicam te, postquam, quid vis belli & armorum possit, magno incommodo sensisti, non iam tuo velle, sed alieno vilissimæ bestia periculo subire cōmunē Martē, incertosq; bellorū exitus: vbi, si confossa bestia reiectaq; de theatro sit, victor lauream nullam referret: & tu maculam iniustam bestia, facilè à te vultuq; tuo reijceres: imò si vulnera bestia animaduertisses, cauere tibi deinde, causaq; tuæ plus posses.

Ista de te dicam: & laceſſam ſemper: ſi Vir bonus: ſi amans Religionis, & appetens ſalutis: ſi excultus literis & perpolitus ſtudijs videri cupis: clamabo vt ipſe in theatrum progrediare: ipſe pro conuulſa Eccleſia, protritaque Religionem tuam pugnes, primus author pugnae: ipſe ſub nomine tuo appareas: fulcias ruinas cauſae: ſuppleas conciſos milites: & officium Diſputatoris adminiſtres. Niſi feceris, in caelo, in aere, in parietibus, in libris inſcribemus: victum Herbradum profugiſſe ex caſtris: nec ſpem iam in re alia, quam in latratu morſuque canis, & ruditate aſini habere repositam: vt ſcurrili dicacitate, & immoderata conuiciandi libidine, & perpetuo ruditu non vincat, ſed ſimplicioribus, quaſi pugnam quoquo modo ſuſtineret, perſuadeat.

Verum, vt dixi, ego quidem de te meliora ſpero: & vt a tuis terreri non ſinas, per Dei te gloriam, ſi vnquam illam ſpectaſti, per Eccleſiae pacem, per animae ſalutem rogo. Nec tum laboro, beſtiae tuae, an alijs armis pugnes: contentus ſum, quia meliora non habes, vt illa eadem armamenta detracta de beſtia, tibi accommodes: in librum tuum traſcribas: & quod plus eſt, vt tantum paucis verbis, placere tradas, aſſeuerationeque tua confirmes. Nec enim, ſi centies Decanus ſpectabilis tuus pro Collegio praefetur, ſuſpicabor te ſenem & Theologum, non dicam maledicentiam & procacitatem, ſed rerum inanitatem, & intolerabilem ignorationem laudare in beſtia: niſi deliratio ſenilis in affecta aetate ſic hebeſcentem animum oppreſſit, vt quae infixae in ſenſibus ſunt communibus, non amplius iudicet. Tamē antequam manum tuam oculis, & vocem auribus ſuſcipiam, non exiſtimabo probari, turpiter a beſtia tua ſordidatas chartas: non quod neſciam proprium eſſe ſcholae Lutheranae, non *πρόσ* *τι*, nec *πότε*, ſed *ἰδὲως*, fuſioſe conuitiari; qui enim fieri poſſet, vt Lutheri nutricatoris ſcurræ conuitijs, tanquam pabulo educata, & eius effrenata maledicentia tanquam
nutri-

nutrimento pasta, non esset patris similima? sed quod tamen iuuenilem turpissimam petulantiam, & extremam inscitiam, quemadmodum vir annis & literarum studio senex, non vituperes, non videam.

At si literam unam appones assensionis tuæ indicem: tum & credam continuo, & bestiae setis circum vestitum, ut antea militum ductorem, aggrediar statim: nec male dictis te conscindam, quod in more Ecclesiae Christi positum non est: sed causae falsitatem ostendam ex communi omnium hominum iudicio: & inanissimam nebulam, qua errorem bestiae sepire & obscurare voluit, vno afflatu dei jciam: gratificatus optimae causae & personae tuae.

Dices, cur igitur bestiam de theatro non depellam? Verum Herbrande, an in aetatem conuenire dignitatemque meam putas, ut tam turpem & ignauam bestiam ego abigam extra ludum tuum iniectam in scenam? cum inferioris scholae pueri sint quamplurimi, qui possint, & si iubeam, fustibus & virgis accurrent omnes? An tuam cohonestandam esse nomine personaeque meae bestiam iudicas? An vis honorem bestiae haberi, quem tu mihi non habes, ut cum Decanus tuus responso me indignum insidiosè fiteque reputet, ego dignam esse ex petulantia constatam, & coagmentatam ex bonarum artium inscitia bestiam, facto ipso declarem? Ne arbitrare, Herbrande: ne quidem si centum bestias calceatrices, centum rusticos cicatricosos, centum Pappianos scholasticos, centum nigrae praedicabilia, centum Osiandros pro te in theatrum intrudes.

Causam de Ecclesia tecum: de Verbo Scripto cum Grynaeo suscepi: finiam cum utroque: vel si tacebitis, gaudebo, & satis defensam Christi Dei nostri causam, & vestrum conuictum errorem, & deinde ad melius domi collocandum tempus, & ad longius in Ecclesiam profectendum assiduitatis diligentiaeque meae fructum, libera-

tum me altercationibus esse iurgijsque vestris. Bestias, scholasticos, prædicabilia, mancipia, scurras, quotquot in ludo ad commouendum cachinnum populo, & ad ornandam fabulam vestram apponetis, si opus esse videbitur, alij conficient minorum gentium, & inferiorum scholarum sectatores, non iam primam scholæ lauream consecuti, quod Badenis in Fabrum tuum deliberaueram, sed qui ante lauream in vestibulo primoque Logicarum artium aditu consistunt; illi emissarios vestros, quorum fordibus maculare honestos Catholicos Viros, & quia causæ disceptatione non potestis, frangere criminationibus, & obruere maledictis, & tædio affectos deducere de prælio constituistis: illi obiectos excursus vestros, sub quorum periculo vobis pudoriq; vestro parcendum putatis: illi scurras vestros conuellent, non reiiciendis tantum maledictis, sed aperiendis erroribus, & reprimenda petulantia, & nudanda fatuitate.

Nos tuo, Herbrande, iactato à Decano privilegio perfruentes, melius domi ponemus horas: & semper præfatorem Decanum reperiemus, qui vtilioribus nos laboribus consecratos esse testabitur: verius certè quàm Decanus tuus de te dixit: cui si fidem non habebitis, considerate animis iudicijsque vestris, an æquum sit tuo clamatori Decano fidem adiungi nostram?

Tamen adhuc quæres, cur igitur bestia tuæ iam statim talis scholæ alumnus nostræ obiectus non sit? Dicam liberè, Herbrande: Attende. Aut enim tum exemplum à bestia tua expositum imitari: aut verba, quæ pro argumentis, non dicam non ad Dialecticam, sed ne quidem ad Sophisticam speciem per librum sparsit, quàm ignominiosè fordideque posita sint, ostendere debuit. At neutrum iam fieri necesse fuit.

Nam si effigiem ex bestia libro duxisset: primùm centies te Decanumq; tuum, vt ille me solet, stolidissimos asinos: ducenties virgis fustibusque conscindendos: trecenties

centies

AD D. IACOBVM HERBRANDVM 107
centies circumforaneos: quadringenties stupidissimos
laicos & ineptissimos præstigiatores: quingenties calum-
niatores pessimos, & mendacissimos & nugiuendos: sex-
centies virulētissimos Thrasones, & superbissimos nuga-
tores, & dicacissimos scurras: millies Grāmaticæ & Lo-
gicarum artium omnium, & ipsius Lutheranæ Theo-
logiæ imperitissimos & futilissimos calumniatores no-
minasset: & quia duo estis, amplificasset plurimū. Deinde
debuisset omnia mentiri: peruertere latratus, & inuol-
uere ruditus bestia: vexare omnibus contumelijs San-
ctos Patres: eorum corrumpere & mutilare sententias:
nescire & torquere Scripturam: non Sophisticari, sed
ne quidem simulacrum exhibere Syllogismi: ignorare
ipsum Donatum, & nec intelligere Latinè scriptos li-
bros. Sic imaginem bestia expressisset: & sic se commodè
ad exemplum retulisset istius libri. At fatere, Herbran-
de, quid inde commodi ad Christi Ecclesiam, quid ad
causā, de qua controuersamur, quid ad Lectorē perue-
nisset? Exprime animi sensum tui, qui notus nobis cæla-
ri abscondiq; non potest: quomodo ista scurrilia conui-
tia, quomodo nugas, quomodo mendacia tulisses, si in-
te infixā personamque tuam essent? Et tamen duos vel
tres iuuenes nostros atrocitas facti sic animauerat, ut ni-
si repressissem, in te Decanoq; tuo iam hærent omnia,
quæ in me temere nugatoricq; ut conijcerentur, & con-
cupiuit, & assensionē miseriaque sua sustentauit Theolo-
giæ tuæ Decanus. Nec enim imitandam Hæreticorum
insolentiam, nec transferendam in nos turpitudinem
vestram esse sentio: rideo magis, & tanto effusius, quo
magis vos non ad faciendā conuicia, sed ad furenter
insaniendum, operam & confertis ipsi, & coaceruari cu-
mularique à vestris iubetis: quo me animo esse amici-
norunt. Sed si, Herbrande, pudoris tui discrimine condi-
tionem accipies, pœnamque pro nostris apud Deum su-
stinebis; vel si omnino requires: breui pulcherrimam
istius

istius libri videbis translata[m] ad te Decanumque tuum effigiem: vt ipse sis honesti iuuenis in imitando solertiã, & in refingendis conuicijs venustam, & cum Christiana verecundia cõiunctam celeritatem admiraturus: quod vt pro iure tuo à me reperas: id est: non vt abuti vos studijs meis sinam: sed tantum vt pueris nostris relaxem frenum, non ad nouas accendendas, quod Catholicus nemo potest, sed ad veteres suscitandas vestras & agitandas furias, in arbitrio tuo ponam. Habes Herbrande, cur hoc quidem tempore primæ Dilemmatis parti locum non dederim.

*Ista omnia,
sumpta ex
bestia li-
bris, non à
me primùm
posita sunt:
quod lector
obseruet.*

Secundæ alia est ratio. Nec enim conuitia perspicuè falsa reprehensionem, nec res, quæ nullæ sunt, nec verba cætera refutationem postulant; sed primùm satis est, si latratus & ruditus omnes in bestiam & in ventrem bestię retrusi, amendantur Tubingam: vt quantus quamq; stupidus asinus, & asinorum princeps, & scurra, & ignarus, omnis literaturæ, & circũforaneus, & nugator, & sceleratus Magistellus tuus, saxæ sapiëntiæ insipiēs habitator sit, Præceptores cognoscant, & tanti discipuli tanto ingenio, cum ista omnia in se resorbuit, latètur, & nouum nouis patribus datum filium, factum rursus nouum patrem, triumphant gaudio. Nec enim, cum reflexos ab honestis adolescentibus latratus & ruditus bestię secundò audient, dubitabunt canem & asinum esse: Aut an accidere posse existimas, vt, qui sic latrat, non sit canis? qui sic rudit, non sit asinus? An qui tantum asinos, & scurras, & beanos, & nugatores, tanta copia de se in librum vomuit, asinus, & scurra, & beanus, & nugator nõ erit? nisi fortassis stolidum caput sic exhaust, vt vacuus non solum ab his sordibus, sed ab omni honestate sit relictus? Atqui id quì conuenit in tantum tamque canum & asinorum ferax ingenium? Isto igitur modo latratus & ruditus omnes repressisset, cuiusque scribendi datum fuisset negotium: vt librum nouum scribi non esset opus:

opus: remitteret tātū ad canibus & asinis grauidatum ventrem reiectos partus: & gratularetur tantam fœcunditatem Theologici Lutherani Tubingensis Collegij Decano.

Quod ad verba pertinet: video, præter ea, quæ in Germanico sanctissimi Principis IACOBI Marchionis iam publicato libro refutata sunt, prorsus nihil esse, quod minimam solutionem requirat: nisi vt mentitum esse, & delirasse omnia, breui summa, breuissimaque complexione dicat, qui respondendi aliquando partem sustinebit; sed particulatim iam explanari, antequam tu noui patris vetus pater in ludū prodeas, quorsum attinebat? Quis puer priusquam tu litem tuam faceres, tanto asino responderet?

1. Accidentia Panis non esse Speciē, quia Species vna significatione sit quidditas, puer quisque literarij Latini ludi procul dubio refutabit, & non vnam esse vocis notationem ostendet, cū Speciem non prædicabile aliquid, non essentiam, non quidditatem, sed Germanicè (*Eingestalt*) in Donato, in exēplo quintæ declinationis, ex libellis scholæ tuæ interpretabitur: vt de Porphyrio nihil dicam, quem bestia nunquam aspexit: nihil de Cicerone, patre Latini sermonis: nihil de exemplis Scripturæ. 2. Non esse in Luca capite primo, visum fuisse S. Euangelistæ vt omnia scriberet: rursus Grammaticus puer cum summo ludibrio bestię docebit, cū (*πᾶσι*) ad (*παντοκράτειον*) in Græco: & in Latino (*omnia*) ad (*assequito*) pertinere: & (*πᾶσι*) non posse referri ad (*ἀσιν*), asino tuo, ex Syntaxi, & ex primis Grammaticæ Rudimentis monstrabit: & ipse legendo animaduertet, non omnia, quæ sunt in reliquis, & ne quidem Baptisum esse in S. Luca. 3. Quadraginta sex testimonia pro sola fide in nugatoria Vitenbergensium contra P. Belarminum & Hansonium cauillatione proferri, puer ætate ad numerandi scientiam progressus reuellet, cū patres ipsos cognoscet. 4. Charitatem non esse opera, causam non esse

Y

affectum

affectum, nec opponi in Scriptura fidei, rusticus Scythicarum gentium stipes aliquis ostendet. 5. Psalterium S. Bonaueturæ, offensionem Lutheranorum, fuisse confirmatum à Sixto III. & Innocentio VIII. Catholicæ mulierculæ ridebunt effusè: cùm scripturientem bestiam, quid apud Catholicos, & in Bulla Sixti sit Psalterium Virginis Mariæ, non intelligere sentient: & ipsi inferiorum scholarum decennes pueri ad virgas deposcent, quod rem in Bulla perspicuis Latinis verbis explicatam, nempe, Psalterium Virginis Mariæ, quod confirmet Sixtus III. esse quindecies vno die repetitam orationem Dominicā, cùm semper post quamq; orationem subiungitis decem salutationibus Angelicis, bestia ne quidem legere possit. 6. Adorationem Corporis Christi in accidentibus panis recentiore esse festo Corporis Christi, & in Bulla Urbani III. nihil esse de adoratione Sacramenti: quomodo rustici VVitenbergici, qui in Osiandri scurrè scurrilibus nugis contrarium notarunt? quomodo pueri Latini sermonis intelligentes ferent, cùm Bullam ipsam legent? 7. Panem à Catholicis adorari, quanta est ruditas? 8. De cœlibatu Sacerdotum consentire Ecclesiam Gracæ cum Lutherana consortione: & pro Martyribus veteres obtulisse Deo preces, quibus oculis, in quo libro bestia legit, vbi legere honestus nullus puer, senex honestus nullus potest? cùm omnes recordationem iustorum factam: non fufas pro illis preces esse legant? 9. In Hortulo animæ, qui totus est Catholicus, esse sententias pugnantes cum Catholicis? Bernhardū in Pontificia Religione non emigrasse de vita? Pontificios nō esse qui clamant: perditè vixi, meritum meum Christus est: eoq; neminem in mundo esse Pontificium, quis puer & rusticus non damnandum & corrigendum virgis existimabit? 10. Hosium Virum maximum, ea, quæ bestia in calce nugarum clamat, pro sua sententia ascripsisse, & non tanquam aliena de hæreticorum sententia recitasse, an
 adhuc

adhuc virgis, & non fustibus, non ipso suspendio vindicandum erit? an lucem aspicere audet, qui ista scribit? praesertim postquam R. D. P. Belarnius granissimè patres ipsius, veteres noui patris patres, mendacij conuicit & coarguit publicè? 11. Negari à me in genere, Propria differentium esse subiectorum, vt bestia ab omni humano sensu aliena vociferatur, quis classicus Latinus puer legens librum meum dicet? & non potius bestiam saxi de theatro depellet? cùm expressè isto loco, tribus lineis ante, de quo proprio loquar, traditum expressè clarissimeque circumspectum sit? 12. Inficiari me, annuntiationem & praedicationem Euangelij in Scriptura esse rem vnã, si pueri à bestia audirent, & legendo libro meo, imò legendis meis à bestia sordidatis verbis cognoscerent, annuntiationem, non vt in scriptura ad certam significationem adhibetur: distingui à me cōtra praedicationem: sed vt à te, Herbrande, Thesi 119. pro simplici textus recitatione de charita, turpissimè ad occultandum furtiuae Ecclesiae ministerium inflectitur, quid Herbrande iudicas? ridendam an obruendam lapidibus bestiam putarent? 13. Epiphanium vota tātum soluisse mortuis, quis Graecus honestus puer prima aetate non reprehendet? cùm eodem loco in Epiphanio intermissa à bestia aspiciet, quae sequuntur: ὠφελει δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γενομένη εὐχή, εἰ καὶ ταῦτα τῶν ἀπαιμάτων μὴ ἀποκόψοι, ἀλλ' ὄν γε διὰ τὸ πολλὰς εἰς κόσμον ἡμᾶς ὄντας, σφάλματος ἀκρίβειας, τε καὶ ἰκασίας, ἵνα τὸ ἐντελέτερον σημαίνῃ, καὶ γὰρ δικαίων, ποιέμεθα τινὲς μνήμην καὶ ὑπὲρ ἀμαρτωλῶν: ὑπὲρ μὲν ἀμαρτωλῶν ὡς ἄσπερ ἐλέος θεῶν δεόμενοι. & Latinè: (iuuat autē etiam (audi Herbrande) iuuat ultra vota, ultra spem adhuc amplius) *oratio pro ipsis* (mortuis) *facta, quanquā totam rationem criminum* (ea omnia quae peccauimus) *non abscindit. Tamen quia saepe cum in mundo versamur, tū lubenter, tum inuiti peccamus, vt id quod perfectius est,* (nimirū Christus) *significetur, facimus & peccatorum & iustorum mentionem: pro peccatoribus quidem implorantes misericordiam*

cordiam Dei &c. Ista verò nexa coniunctaque cum priori textu, cum Christianus Græcus puer primis oculis intuebitur, quæ verbera incutiet bestię? quibus flagellis cædet? 14. Chrystostomi sexagesimam nonam orationem, proximè antepositam orationi septuagesimæ, quam bestia consputavit, si puer considerabit, & verba Chrystostomi animadvertet, *ab Apostolis sancitam esse in Sacrificio orationem pro mortuis, & multum inde LVCRVM MORTVIS, MULTAM UTILITATEM contingere*: quot virgis, quot saxis, quot maledictis vota bestię tuæ faciet? Idem de S. Ambrosij fiet: idem de D. Augustini locis omnibus: idem de testimonijs Scripturæ.

Hæc, & sexcenta alia: id est, mēdacium continuatione vnum, partitione & geminatione multiplex: si quis tibi Herbrande obiecisset: si nugas infinitas percensuisset: si demonstrasset, nullum meum argumentum sine vitio à bestia appositum: nullum ab illo rectè, ne quidem ad Sophisticæ subtilitatis speciem, (id est, quidditatem bestię tuæ) conclusum: nullam Scripturam, nullum SS. Patrum testimonium commodè & integrè ascriptum: omnia esse malitiosè deprauata: turpiter peruersa: crudeliter corrupta: mendacissimè explicata: ineptè inuoluta, quid dixisses? Negares quod bestia peccavit ad te pertinere: & ipse condemnasses bestiam: confessus esses illa omnia, & Epiphanio, & S. Augustino, S. Ambrosio, & S. Chrystostomo, & Tertulliano, & Scripturæ fieri iniuriã: displicuisse quod monstrum, quod bestiam, quod asinum, quod canem, Decanus tuus venalis furialis bestię laudator, ineptus Decanus produxisset: quod prodidisset turpitudinem deformitatemque vestram. Tum verò is, qui bestiam abigendam suscepisset, quid collegisset lucri? nisi quod oculos tibi aperuisset, ad minus amandam bestiam, & ad eius detestandam fœditatem? Itaque duos honestissimos adolescentes, qui bestiam tuam sub Grammatico & Dialectico vulgari exercitio in aditu
 primo,

primo Laureę in schola publica nõfodere, tũ ma-
 ledicta omnia, quę ab inhumano & agresti bestię fu-
 rore in me direxerat, illigata in vno fasciculo, in te specta-
 bilemque Decanum tuum, tanquam authores incredi-
 bilis Lutheranę petulantię, reflectere constituerant, æ-
 grę continui, vt eousque differrent, dum de assensione
 tua, publico testimonio nobis liqueret, an omnia istius
 bestię pro tuis probares: vt, cum liberę palamque scopum
 ipse te proposuisses, appulsa immissaque non tum ab il-
 lis: sed à me ipso tela cohærerent firmitus. Si enim facies,
 vt ante Pentecosten, quo sis animo, certum sciam: non
 quod tu fecisti, induam alias personas, vt pro me pug-
 nēt: nec sub alieno scelere, nec per cuniculos te petam:
 ipse quamcunque militiam educes: etiam cum istas be-
 stię inanitates & ruditus repetes, in pugnã progrediar,
 & vt primas copias fugavi, sic alteras restringam, & de-
 lebo funditus: non profectõ maledictis, tanquam Sa-
 thanę, sed rationum firmamentis & mansuetudine,
 quasi Christi miles. Verũ si tu antiquum obtinebis,
 & bestiam in teatro relinques: actumque nouum
 nullum eousque apparabis: tunc pulcherrimum ego de
 te profugiente triumphum, in omnium bonorum ocu-
 lis agam: tamen quia probari à te bestiam suspicabor,
 pueros optimos obijciam, vt cum præconibus pro arbi-
 trio suo bestiam consopiant, non quod committam vn-
 quam, vt arte vos conuiciandi æquent vel vincant: debi-
 tam enim, & à patre Luthero susceptam impudentię &
 criminationis gloriam integram vobis relictam esse vo-
 lo: sed vt parem meritamque gratiam, non per iniuriam,
 vt vos fecistis, sed maximo summoque iure, multo me-
 liores pueri quàm Magistellus vester vir est, retribuunt,
 & illa solũ, quę ipsi in me finxistis, asinorum, & scurra-
 rum, & nugatorum, & Thraſonum, & stipitum, & trunco-
 rum, & præstigiatorum cognomenta, inscripta in vobis,
 exarata in frontibus vestris, infixã in personis, incisa in
 Y 3 magni-

magnificis titulis, sculpta in statuis faxisque vestris, suspendant, ante omnium terrarum & gentium conspectum. Quia in re, nullam mihi certè regerendis vestris scurrilitatibus iucunditatem parient: tamè vt aspersam illuuiem vestram optimi adolèscentes de vestimentis abstergant nostris, & tanquam grati scholæ vestræ vicini, res vestras vobis dominis & possessoribus reddant, & quæ pleno iure vestra sunt, ad vos remittant, à quibus per imprudentiam fluxerunt: cur, Herbrande, & quo prætextu, & quomodo sine iniuria vestra, & sine furti suspicionè prohiberem?

Intelligis igitur, Herbrande, cur bestia tua nondum deiecta de theatro: & cur tibi relicta sit: vt qui per Decanum in scenam proferri iussisti, ipse baculis & lapidibus concisam & laceratam flagellis propulses.

Hic si fortassis in scribendo vehementiam incusabis meam, quod hominem nomen bestiam: si ad infinitam latrandi libidinem, si ad licentiam incredibilem de rebus incognitis iudicandi, si ad proiectam & extremam ruditatem, si ad totam miseriam respicies: mecum, Herbrande, senties: & eum, qui est abstractus ab omni humanitate, & ab omni sensu moderationis tam longè disiunctus: nec hominis ostendere effigiem, sed furentis bruti in libro exprimere simulacrum voluit, ipse non ab externa corporis forma hominem, sed à similitudine morum, & à specie (id est essentia & quidditate) bestia, bestiam nominabis. Doleo ipse Magistelli procacitatem: doleo scholæ vestræ consuetudinem: doleo & iussum vestrum, & ipsius obsequium: nec me deformitas vestra afficit: nec imitatione nostrorum hominum ad nos traduci turpem consuetudinem vellem: opto vt in meliorem ingressi consiliorum viam, non deinde ad petulantium iurgiorum maledicta, & ad furenter irascendum, animos impellatis: sicut in Pontificem Christi Vicarium, & in viros
Catho-

Catholicos contumeliosissimè soletis: Et tamen scurrā Lutherum, pestem Ecclesie Christi, per summam modestiam scurrā nuncupari delicati homines non finitis: sed grauitè, dignissimèq; causam Christi, in quam animæ salus nostræ versatur, tractandam existimetis. Nam si illa vobis in dimicando prora & puppis erit, pugnam ordiri: deinde vulneratos fugere: summittere nouos calones, horumq; periculis & sceleribus configere: conducere bestias, scurras, pueros: iubere, vt si pugnare manu non possunt, rabie & latratu arrodant, & dignitatem hostis verbis & calamis consputent: illa si victoriæ spes vestræ, si triumphus vestri fiducia est, quid tandem futurum esse iudicas, Herbrande? Nos enim victoriæ maledicentiæ, & aculeorum, & cauillationum scurræ nulli inuidemus: nec vnquam voce calamoq; nostro retundere cogitamus: tamen semper erunt honesti iuuenes, qui bestias & rusticos & scurras vestros iugulabunt veritatis fulgore, illuminatæque rationis præsidio: & rudenti sibilos eorum & latratus in te, Decanum tuum, scholamq; Theologicam, sine vlla verborum inuersione pulcherrimè tanquam obiectam pilam retorquebunt: vt quia in nobis hæere non possunt, in vobis tanquam visco agglutinata & adnixa clauiculis, ad sempiternum ludibrium insistant.

Tum verò quam laudem, tu puerique tui, & quæ opima spolia, Herbrande, referetis? cum pueros nostros ultores senilis impudentiæ vestræ, & vindices dicacitatis, & punitores petulantia, qui maledicta non fingunt, sed arrepta ex libris scurrilibus vestris, in vos reiciunt, nemo vir prudens damnabit? vestram precipitatem audaciam, interminatamque proteruitatem culpabunt omnes? cum quasi in speculo fructus Theologiæ vestræ aspicient: quorum Turcas & Gentiles puderet?

Et illud

Et illud, de quo superius egimus, quàm facilè erit, apponere semper Decanum, Decano tuo meliorem, qui nos vtilioribus laboribus consecratos, non abundare otio, & despiciere futilitatem vestram clamabit?

Ecquid igitur adhuc lucri, Herbrande, non dicam iam coram Deo, qui factorum à nobis rationem reposcet, sed coram mundo, & in Lutherana vestra Repub. in vrbe scholaque vestra, in amicorum & liberorum oculis, ex isthac puerili mentiendi conuiciandi que libidine, & ex illa feritate bestiarum expectabis? Quid cogitas, Herbrande, cum ad dignum ætate iudicium tua te reuocas?

Habes, cur ego bestiam tuam: sic enim ab omni humana intelligentia abhorrentem, & ab omni hominum omnium sensu remotum hominem, sine conuitio nomino: cur alios scurras emissarios vestros, prædicabilia, agricolas, sutores, ne quidè si Stygias omnes paludes succensis ignibus linguarum torrebunt, dignaturus vnquã responso sim: & cur intercesserim, ne iam per duos optimos adolescentes, priusquam de altero actu fabulæ nobis tuæ constaret, ex Donato, & exilis abiectique Philosophi Melanthonis, non præceptis, sed rudimentis Dialecticis (cur enim mactari ab Aristotele summo viro opus esset tam minutam & turpem bestiam?) bestia tua conficeretur.

Reliquum nihil est, nisi quod ante dixi: & iam iisdem pene verbis repetam: & si nō venies, geminabo, & in clamabo deinde millies; vt nūc, postquam oculis manibusque spectatorum satis versata bestia, maximisq; cachinnis ludificata fuit, & longioris inspectionis vehementer tædet populum: in theatrum ipse te, novosque lufores tuos introducas: & vbi peccatum à me in priori militia, & quo nouo milite fulciendam malè materiata planeque ruinosam causam tuam putes, nouo actu tradas. Id quanquam adhuc te facturum confidimus: tamen rursus mo-

sus moneo: obtestor: postulo: si vir esse bonus, si grauis senex, si antesignanus Doctor Vbiquisticæ Lutheranæ opinionis, si amans pietatis, si respectum habere ad Christi gloriam, si spe duci æternæ beatitudinis videri à nobis cupis: vt bellum ista alacritate, qua vibrare primas sicas, & qua ad conferendam manum euocare me coepisti, cōtinues: & vulnera in te, cœtumque tuum inflicta, ipse fanes. Nec Pistorium iam indignum fingas, nec per fraudem fingi à tuis sinas, quem laceffendum putasti, quem non despiciendum, dissidens à Schmidelino tuo, cū ille animosior esset, sæpe multumque, cū Analysin meā legisset, contestatus in epistolis, in cōuiujs, in itineribus fuisti: cū Decanus honoristui rationem non habet: tamen existimationem senilem tuam tu defende: & vel te profitere victum, & sub suaue Christi ab acerbissima Lutheri seruitute, submitte iugum: vel si audes, compara te ad bellum nouum: circūspice de meliori pugna. Concedam libenter, si alia armamenta, quàm bestia, quibus te cōuestias, non inuenies, vt illis iisdem pugnes: & si distentus negotijs ne quidem vnum diem vacuum habes: decerpe aliquid de prandijs tuis: & tribus verbis publicis aperire animum: ascribe inter edendum in charta, placere tibi nouam, quam fecisti, bestiam, & credere, rectè defensum esse Lutheranorum concursum. Si typis non vis, scribe manu: tantum vt sciam. An verò credibile nobis facies, sic vniuersam negotiorum molem in te solo recubuisse, vt tam paucas voculas, etiam sinistra manu poculum sustinens, scribere dextra, & exiguo indicio voluntatem declarare non possis tuam? Acquiescam perlubenter, si istam spem totam tuam esse: si sub bestia armis velle causam periclitari: & vel succumbere, vel vincere: si cū bestia confecta est, te perfoffum esse, & vno vulnere te bestiamque tuam verberari cōfiteberis: non quod repugnem vt diligentius te munias: sed quod in arbitrio tuo relinquam.

Z

Adu-

Adiuo vicissim, vt Christi discipulus sum, sic factu-
rum, quaquaratione tu sæuias: modū enim crudelitati
vestræ non constituam: vt in toto responso, etiam cū
in te bestiam iugulari iubebis, nulla immoderata vox,
verbum nullum conuicio illigatum, nullum indicium
insuauioris iurgij compareat. Nam quod sceleratum cō
uiciatorem Osiandrum, cū sponte, non lacessitus, in-
credibili furore, honestatem meam arrosisset: & iam be-
stiam tuam, immanium belluarum conuiciatricem be-
stiam, non mea vel consuetudine, vel voluntate, sed ip-
sorum meritis & indignitate causæ tractaui asperius:
Deum testor, vix potuisse à modestia mea impetrari, vt
dignum scurram Osiandrum, nunquam futurum Ho-
siandrum, haberem, nisi ciuilis criminatio fuisset: & nisi
Principes mei, nisi amici, nisi liberi iussissent, quorum o-
mnium dignitatem per me latusque meum vulnerari
dicebant. Nec bestiam, vno verbo nominassem: nisi tu
ex fuga reuocandus, & vt in bellum tetuum, à te com-
motorum sifteres, commonendus fuisses.


Vt in prima epistola cum Grynæo egeram lenissimè:
sic istum morem, quem causa requirebat, tenere con-
stitueram: & tenebo profectò deinde: vt quid differat ab
hæretico Lutheri discipulo, vir Catholicus, in schola in-
stitutus Christi, planum testatumque faciam omnibus:
nisi quod quamdiu Pontificem, Caput in terra Religio-
nis Christianæ, petulantissimis verbis vestris configetis:
eiusque futurum non sperem, vt Lutherum caput erro-
rum omnium, vicissim scurram, & exitium Germaniæ,
& hostem Christi nominari, agrè molesteque ferre, vel
pro conuicio reputare, cū rem intelligenti sinceroq;
iudicio perpendet, consideratus aliquis affecla sedæ ve-
stræ possit.

Sic igitur in nomine Christi, Dei maximi nostri, &
pro huius gloria, Herbrande, pugnam tecum & cum
Grynæo honestè finiam: non iam aliter à quadriennio
medicus,

medicus, quàm vt cœcitati vestræ adhibeam medicinā: Theologus certè in cognoscendo Christo, etiam si puer Catholicus essem, omnibus hæreticis Doctoribus multò melior, multoq; perfectior. In literatūra enim Theologica aliud nihil ascribam, quàm tantum in rebus me & linguis consecutum esse, quantum afferre primùm diuturnitas studij, tota que mea à decimo vitæ anno, usque in hunc diem, in legendis erroribus vestris, decursa ætas; deinde homini ad Deum intento, nec profus hebeti gratia cælestis, & quadriennio iam integro, applicata ad synceriores Theologiam diligentia potuit. De Lutheri fortassis delirationibus gloriari possem, multò me illas diligētius introspexisse, multoq; plenius vobis: vt nisi iam & mihi, & alijs ad aspiciendam authoris & doctrinæ deformitatem, & ad eò magis refugiendam turpitudinem prodesse, dolorē plurimum, tantum, tamque commodum tempus fuisse in istius miseræ lectionem conuersum. Verùm ista satis, & quidem celerrimè: vt vides.

Decano tuo, præcentori bestię, si lineam vnā appinxisset, in qua vel causam nostram ageret, vel alienam in te librisque tuis toties damnatam nouo fuce, nouaque veri similitudine cohonestaret: id est, si verbū vnum dignum responso, & non antea refutatum posuisset, perlibenter responderem: Si fructum animaduernerem, quem inde capere Ecclesia Christi posset. Tamen ne se contemni arbitretur, gladios, quibus ineptè perfodere Catholicam Christi Ecclesiam, & huius in terris Gubernatorem voluit, breuissimè in ipsius iugulum reijciam: vsus ipsius verbis, & argumētis, & ordine: vt inanitatem suam ipse videat. Nihil confutabo: vt nihil confutationem postulat: verba ipsius, ratiocinationes, & concludendi modū nudè repetam: tantum variabo assumptionem, & vt ille Pontificis: sic ego Lutheri nomen subijciam. Attende Herbrande, & considera.

16
P R Æ F A T I O N I S , A ' T V -
B I N G E N S I T H E O L O G I C O L V T H E R A .
N O D E C A N O A N T E B E S T I A E L I B R V M
a n t e p o s i t æ , s i m p l e x i m i t a t i o , & a d C a t h o -
l i c æ R o m a n æ E c c l e s i æ d e f e n s i o -
n e m c o n u e r s i o .

 *Emporum similitudo & historiarum considera-
tio ostendunt, semper excitatos à Diabolo fuisse
pseudoProphetas, pseudoApostolos, falsos Docto-
res. Inter hos autem maxime caput est Lutherus,
quem ex paruis Indulgentiarum initijs, deinde
mendacijs infinitis Sathanas ad istam fecunditatem filiorum
amplificauit: cum Apostolorum primum successorem, & Scri-
pturæ primum interpretem post annos intermedios 1500. finxisset:
& sine Scriptura, & sine specie Scripturæ, mentiri iussisset,
S. Petrum fuisse nunquam Romæ, nec si fuisset, pertinere ad cæ-
teros successores S. Petri sanctimoniam, & multos Papas fuisse
Hæreticos & Nigromãticos: cum Lutherus antecessores suæ do-
ctrinæ, quam paulatim quotidianis accessionibus coagmentabat,
haberet nullos: successores licentiæ & libidinis haberet Zwving-
gium, Anabaptistas, Swenckfeldium, Georgium David, Liber-
tinus, Arrianos, monstra omnia, & Diaboli instrumenta: cum
artem magicam adhuc Monachus anno 1518. eousq; Lutherus
didicisset, ut partes, & species, & modos cantionum magicarum
& veneficiorum teneret omnes, & sub specie confutationis popu-
lo VVitembergenſi ordine de Cathedra recitaret, tanquam si ad
rem istam, singulariter instructus, & in usu artis diu versatus
esset.*

*Hunc cum suo regno Lutherum, ut agnosceretur à pijs, Dani-
el à Deo dilectus Propheta graphicè descripsit, cum primum ait:
quod iuxta voluntatem suam facturus sit Rex. Quod incredibi-
li impudentia sua mutandi, mutilandi, reijciendi Scripturam;
indicandi Patres & Ecclesiam; fingendi ad arbitrium sensus in
Scriptu-*

Scriptura, despiciendi omnes Caesares, Reges, Principes, Doctores, praestitit Lutherus: cuius illa testata & inscripta in libro vox est:

Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.

Secundo subiungit Daniel: Et eleuabitur & magnificabitur, seu extollet se aduersus omnem Deum: Quae verba Apostolus repetiuit & expressit, cum ait: Aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita, ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit ipse Deus. Christus iussit audire Ecclesiam: Lutherus ne quidem esse fingit Ecclesiam: aut si sit, non posse tanquam occultatam audiri. Christus mandat, ut qui possint capere, capiant, & esse qui se ipsos castrent propter regnum caelorum: Lutherus vult, non posse capi, aut rarissime, aut nunquam ad spem diurnam; nec esse in potestate hominis, à Spiritu Sancto illuminati, ut se castret. Christus non praecepit, ut sub salutis discrimine, duas species sumeremus: id quod Lutherus primum concessit: deinde verò contra Christum & se, ingressus in nouam libidinem, & à nigro spiritu post aliquot annos magis confirmatus, omnino iussit. Paulus dicit eligendum, qui vnus uxoris vir fuerit, Episcopum: Lutherus non vnus, sed etiam trium & septem uxorum maritum Ecclesiae praefecit. Paulus vult, qui abstinent ab vxoribus esse beatiore: Lutherus negat: & ne quidem duas species in Cæna tam necessarias putat quàm sacerdotum nuptias. Paulus consulit, ut vxor ad effugiendam fornicationem ducatur: Lutherus iubet, ut tamen si nullus est vstionis sensus, vel fornicationis metus, tamen ducatur.

Tertio: Et aduersus Deum loquetur mirabilia. Id an Lutherus fecerit, ne quidem dubium esse potest: qui doctrinam suam, ab Angelis, ab Ecclesijs, ab hominibus iudicari non patitur: qui Philippum Grammaticum homuncionem ad latus S. Pauli apponit: qui tanquam porcus in Scripturam & omnes Ecclesias tumultuatur: qui Deum omnia peccata in nobis operari, & non magis virtutes in Sanctis, quàm scelera in impijs sensit: qui animam immortalem esse non concessit: qui Angelos suae libidini subiecit: qui se omnibus omnium gentium Ecclesijs praetulit: SS. Patres

incredibili ludibrio despexit: Sanctum Iacobum S. Paulo, tanquam dissentientem Apostolum Apostolo opposuit: eius Epistolam dubiam fecit: S. Ioannis Apocalypsin à Spiritu Sancto traditam esse negavit: ne quidem Sanctissima Virgini, & Sanctis Martyribus pepercit: qui omnia iura ex scrinio sordidi peccatoris sui iudicavit: ad libidinem carnis effutiuit omnia: verba sua pro Christi verbis haberi voluit: qui verbo se vno Saxonia Principem Georgium posse de vita tollere, impudenter gloriari non dubitavit.

Quartò: Et Deum Patrum suorum non reputabit: quod Lutherus cumulate preestitit: reiecto Deo, quem per annos 1500. patres ipsius coluerunt: & quasi mortuus esset cum Apostolis verus Deus, sic Apostata vilissimus suscitare ex somno vel morte post maximum temporis decursum voluit. Negavit Sacrificium corporis & sanguinis esse propitiatorium: qui omnem sibi cælitus impetratam Scripturæ novam interpretationem, & se de cælo missum novum Euangelistam credi iussit: proprium fabricavit Deum Mayssim in Misnia, Deum propria fortissime fiducia, nec in Scriptura traditum, nec à Sanctis Patribus receptum: cuius inspiratione & fortitudine, quisq. Lutheranus non tantum, cum adhuc à morte longè abest, sed etiam post mortem, novus novi Dei Propheta, certam salutem sibi, certamque regni cælestis possessionem promittit: tametsi quotidie millies fornicetur, & occidat millies: vt Lutherus publicè scribere non dubitat.

Quintò: Et desiderium feminarum non intelliget: in quo Lutherus excellit: qui vota pacta à feminis discidit: qui quotusque moderata mulierum cupiditas progredieretur, non perspexit: qui non desideria, sed libidines mulierum explevit.

Sextò: Contra Sacrificium iuge inualefcet propter peccata hominum: An verò quicquam illustrius in Lutherum dici posset: qui unum Christi Sacrificium, relictum nobis in oratione & Cena: in illa quidem corruptum reliquit, in hac prorsus sustulit, persuasus noctu à Diabolo.

Illæ notæ sunt AntiChristi, quæ omnes in Lutherum: nulla

in Pa.

in Papatum conuenit: De his Daniel est uaticinatus: & Aposto-
lus AntiChristum describit in signis mendacibus venturum cū
mendacijs maximis.

Talia horrēda AntiChristiani Lutheranismi mendacia sunt,
quod Papam docere scribit Lutherus: homini tendenti ad cælum
non bonum esse coniugium: contra epistolas Pauli statuere posse
Pontificem: non satis esse Christum mediatorem: asciscendos An-
gelos & Sanctos ad officia, quæ Dei sunt propria: Christum non
solum & unum satisfacisse pro peccatis, sed tantum pro culpa:
nobis per passionem & opera satisfaciendum esse pro pœnis: ab
humano ingenio excogitatos cultus, ad equandos esse cum alijs,
quos instituit Deus.

Sexcenta alia sunt, quæ turpissimè mentitur Antichristus
Lutherus: cū pro unius adoratione Dei, mortuorum hominum
inuatione à Pontificijs introduci: cū in Scriptura plenissimè
extare omnia: cū Ecclesia traditiones non nuper institutas,
sed ab Apostolica aetate propagatas, antiquandas esse: cū cam-
panas à Catholicis baptizari: mutari cœnam contra Christi in-
stitutionem in sacrificium: mutilari cœnam non porrecta utraq;
specie: prohiberi nuptias & cibos: cū Missam à multis autho-
ribus constatam: cū adorationem Corporis Christi in Sacramē-
tonouam & Idololatricam esse: cū Catholicos non Scriptura,
sed solis Patribus niti: cū fingi à nobis ad arbitrium nostrum
traditiones: cū crucifigi Christum in Missa mentitur Luthe-
rus, scurra mendacissimus: plenissimus errorum & absurditat-
um & blasphemiarum.

Talia monstra & portenta Lutherus primus omnium commi-
nisci ausus: & eum Decanus Tubingensis in Prefatione imitatus
fuit: nullis usus Argumentis: sed tantum mendacia ex Lutheri
deliramentis otiosè recitans. De reliquis enim conuicijs, quæ in
me, personamquæ meam petulantia & mobilitate linguæ conie-
cit, sollicitus non sum: tum quod perspicuè falsa, in me non inha-
reant: redeant omnia ad spectabilem istis virtutibus Decanum:
tum quod eiusmodi homines criminari me pro inanitate sua non
possint: & satis sit, si simul colligata conuicia remittantur Tubin-
gam ad.

gam ad cohonestandum mala Theologiae Decanum, illustrem cō-
uiciatorem.

Ille sit, quem me esse voluit, id est, stolidus patronus Luthera-
nismi, infelix Apostata, instabilis ac vagus Hæreticus: magis ce-
rebri sui iudicia, quàm testimonia ex Scriptura colligens: & hæc
male detorquens: illa non rectè perpendens: fascinatus presti-
gijs Lutheri: miser iusto Dei iudicio excæcatus, & in sensum re-
probum datus Decanus: superbissimus Goliath: stultus iacta-
tor: Sophista: clamator: prestigiator: emortua vel dormien-
tis conscientia: rudens Decanus. Ista omnia accepta à Domino
Decano ornamenta, quia nobis non placèt, nec in nos conueniunt,
remittimus ad spectabilitatem hominis, ut imaginem suam, à se
omnibus lineamentis depictam, domi collustret: non quod ego cō-
uicium in hominem iacere: sed quod tantum iacta reijcere cupi-
am, & reddere in eum, à quo sumpta sunt.

Deum Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, in Spiritu San-
cto oramus, ut facem Verbi sui, opera & studio Apostolorum ac-
censam, & in Ecclesia Christi, inter diuturnas crassissimas, &
plus quàm cimerias Hæreticorum omnium, & tandem pessimi
Lutheri, voraginis omnium errorum, tenebras, in tantis furori-
bus Sathanae & mundi malitia, clementer conseruare apud nos
& posteros nostros dignetur, nec eam propter hæreticorum in-
gratitudinem, confusionem, tyrannidem, & persecutionem ex-
tinguisinat: sed propter gloriam nominis sui, & filij sui dilecti
merita, ad nostram & multorum aliorum salutem, in tenebris huius
mundi & densa caligine noctis, eam nobis præluce in Ecclesia
faciat ad vitam perpetuam. Sicut David canit: Lucerna pedibus
meis verbum tuum, & lumen semitis meis: & postea: Declaratio
sermonum tuorum illuminat. Et S. Petrus: Hoc præcognoscite, Scri-
pturam non esse priuata interpretationis, vel *πρὸς ἑαυτὸν*. Ecclesia
igitur Christi, & in ea verbo Dei attendentes, tanquam lucer-
ne lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer o-
riatur in cordibus nostris, bene facimus.

Hæc pars bona est, quam Maria elegit, sedens ad pedes Sal-
uatoris, audiens à capite Ecclesiæ, non legens sine Ecclesia ser-

monem eius: quæ ut nunquam auferatur à nobis, nostrisque posteris, faxit Deus vnus & trinus, cui honor, laus, & gloria in sempiterna secula, Amen. Vale, Decane. Datum 14. Februarij styl. correcto Anno 91. quo die ante annos 45. ego natus: & Princeps omnium monstrorum Lutherus 14. diebus post repentinò extinctus, & de nocturnis cum Sathana colloquijs ad perpetuam eius consuetudinem translatus est.

F I N I S.

En igitur Herbrande, responsum ad Decani Præfationem: quanquam in aliena & non defensa causa: tamen vt grati, minimeque superbi hominis speciem, id est, quidditatem, vt bestia tua explicat, ostenderem: & vt videres quid posset imitatio: quod erit tanto vt spero iucundius, quo magis me laborasse vides, vt eadem verba, quibus amantissimus tui Decanus pro libidine sua & gratificandi tibi studio vsus fuit, tanquam in speculo sub visum tuum reiecta, aspiceres: teque vestra loquendi & conuiciandi consuetudine oblectares tanto magis. Cætera, quæ vel tractata, vel intermissa à bestia tua sunt, tractabimus: cum tu proiectum gladium in manus ad configendum mecum recipies pro Christi gloria: iam enim cum ingrediendum in viam & in longinquam profectioem: & cum post aliorum librorum scriptioem vix biduum ad Epistolam relictum fuit, longior nec à te expectari nec perfici à me cohortatio potuit. Sed heus Herbrande: si respondebis, primùm refer oculos ad affectam ætatem tuam: intuere canos: considera quàm aliena ab annis esse tuis, & à capillis iurgia & conuicia debeant: deinde perpende, inter nos non pro nostra, sed pro Christi & Ecclesiæ dignitate dimicari: & omnino ab officio requiri nostro, vt causam purissimã non sordidemus impuræ linguæ petulantia. Id si tecum reputabis: & rem cum re conferes: miraberis in respon-

A a dendo

dendo hilaritatem comitatemque meam. Tamen quo-
 quo modo tu causam tuam ages: promitto me ista leni-
 tate, in tractatione causæ maxime versaturum: vt te aspe-
 ritatis tuæ, si quam interpones, pudere merito debeat.

Vale Herbrande, & errore ipse te libera: quod fiet, si
 quid Ecclesia Christi sit, diligenter in sacra Scriptura o-
 culis animoque lustrabis: & conuentum tuum Ecclesiã
 non esse & ne fingi quidem posse senties. Datum ce-
 leriter Friburgi Brisgoiæ. 14. Februarij, qui
 vobis quartus, ex pertinacia tuendi ex-
 roris est; Anno XCI.

Salutis tuae amantissimus

Pistorius.

